



de radice ejus ascendet: & requiescet super eum spiritus Domini. Nam per allusionem ad Aaronicam virgam hoc dictum, & per vaticinium concipiendae Virginis praedictum, non pauci arbitrantur Ecclesiae Patres. S. Augustinus Serm. 3. de tempore, S. Bernardus Homil. 2. super Missus est, Rupertus lib. 2. & cap. 2. in Numeros, Sergius Agiopolita in Cantico Nativit. B. Virginis Mariae, S. Maximus Serm. de Assumptione, & alii. Observavi etiam supra pro egredietur, poni verbum jassa, id est, egredietur purissima, principium capiet, progignetur, fiet, producet mundissima. Nimirum uterque Propheta & Isaïas, & Aaron Deiparam significavit ex Aaronica simul, & Davidica concipiendam gente, quae tamen ad tantam prolem sterilis & infœcunda, divina opulante omnipotentia, ad fecunditatem esset, non sine ingenti miraculo, proveheada. Igitur collatis prophetiis, uno atque eodem afflato spiritu Aaron & Isaïas praeviderant Amygdalinum festum, ille ex Pontificio baculo, hic ex Jesseano trunco sancte, & miraculose procreandum: cui tamen procreationi neque truncus par, neque baculus futurus esset sufficiens, nisi divini Spiritus vis adfuisset, & quidem per illustre admodum miraculum, quod expressit Philo de vita Moysis lib. 3. dum ait Pontificis virgam depromptam novo ostento conspicuam. Et Gregorius Nyssenus lib. de Vita Moysis: Quod quidem miraculum etiam infidelibus maximum omnium visum est; stupentibus scilicet, quomodo sicum, ac levigatum lignum, tam parvo temporis spatio arboris naturam suscepit, atque perfecit. Nam pro uligine terra, pro cortice, pro humore, pro radicibus, & ramis, divina virtus ei suffecit. Eximium hoc praelectae Mariae simulachrum, & egregium Marianae conceptionis ostentum.

NY

Philo.

S. Nyssen.

Miraculosus sacra Arca primus ingressus in Jordanem.

S. Nazian.

S. Greg.

petum cohibenti. Quid enim auferet flumen, caenosam Adami atque Adamitarum generationem significans, Arcam, Mariae umbram attingere, quam purissimae originis futuram, quam a lutulento peccati defluxu immunem, divina virtute perentisceret? Maria igitur, quasi divinissima Arca, in maternae conceptionis alvum, veluti in Jordanis alveum, deveniente, humanum genus, inter tot foedissimos turbidae generationis fluctus, obstupuit, lutulenta generatio, ac caenosa conceptio immani prodigio constitit, discissum amnis fundum subito exsiccatum, uvido expurgatum atque emundatum limo; ne, vel levissima labe Mariana Arca fordidaretur. Hanc Virginis immunitatem fuisse miraculosam, Jordanis hoc divisi, & exsiccati insolitum prodigium satis demonstrat: quantum verò id extiterit, vel ex illis verbis licet addiscere, quibus Josue Populum apparavit cap. 3. 5. Sanctificamini, cras enim faciet Deus inter vos mirabilia. Nicolao Serario nostro Josue 4. parte 3. quaest. 4. problema est, utrum majus miraculum fuerit Jordanis, an Rubri maris divisio. Cosmas noster Magal. Josue 3. Sectio 2. Annotat. 9. numero 6. Jordanis miraculum praefert miraculo Rubri Maris.

Josue, 3. 5.

Miraculosa victoria Arca ex dagonere victa.

Dagonis etymologia ad stygium spectat serpentem.

17

In capite Dagonis praecisa Diaboli superbia.

Hugo Victor. S. Basilii.

Rupert.

pro-

proludium, nempe immunitatis Marianae a peccato originali. Ut verò umbræ rebus adamusim responderent, triumphus illae Arcae in eodem prorsus dies evenisse comperio, quibus Marianae Conceptionis ferias cum Ecclesia colimus. Quod exinde colligas, quod cum reducemus Arcam exciperent Israelitae 1. Reg. 6. 1. dicitur: Fuit Arca in regione Philistinorum septem mensibus. Et vers. 13. Additur: Porro Bethsamita metebant triticum in valle, & elevantes oculos suos viderunt Arcam. Si ergo festivus mensis ab Arca in Dagonis aram in Palestina Junius existat, ut Sanctus Chrysostomus existimat tom. 2. in Homil. de Nativitate Joannis Baptistae; consequens sit, et victoriâ fuisse consecratam sub initium Decembris, nam illi menses retroversum numerati à Junio ad Decembrem, septimestre tempus conficiunt.

Sub initium Decembris miraculum illud.

Nubecula Eliae miraculosa.

P. Petrus de Ogeda.

Ioan. Ierofol.

577 Neque quintum praetermittamus Nubeculae Eliae portentum, in qua spectare licet expressam Marianae mundissimae Conceptionis imaginem. Obduerit aeneum diu caelum (uti scribitur, 3. Reg. 18.) exaruerat triennio, & eo amplius exucca tellus, marebant arva exhaustos cum fontibus fluviorum alveos. Elias majori, ut opinor, animo volvens humanam fecunditatem, mysticaeque dolens inopiam pluviae, Deum in genua provolutus septies inelamat. Subsecutum ex improviso prodigium. Exigua namque nubecula humano non major vestigio è medio sese paulatim attollens pelago caelum confestim obduxit, & in largissimas pluvias sese laxavit, quibus tota, undequaque terra inundatur. Demitti univèrsam putasses caelum. Certè demittendam olympo novam adumbrabat progeniem, Mariam nempe levissimam, ac dulcissimam nubeculam, quae ex amaro naturae humanae mari nihil amaritudinis, ex ponderoso pelago nihil contraxisset ponderis; nullum, inquam, ex peccatrice fonte originale peccatum ebibisset. Hoc totum luculenter explicat, & illustrat ex ipsius Eliae traditione, ejus discipulus Joannes XLIV. Patriarcha Jerosolymitanus lib. de Institut. Monachorum cap. 32. & ex illo noster Petrus de Ogeda in libello Hispano, informationis Ecclesiasticae titulo inscripto, pro immaculata Virginis Conceptione. Nonnulla Joannis verba accipe: Per hoc quod ille puer Eliae vidit de mari Nubeculam parvam oriri, revelavit Deus Filia quod quaedam infantula, scilicet Beata Maria, per illam nubeculam significata, & instar illius Nubeculae per humilitatem parva nasceretur de humana natura peccatrice designata per mare. Quae infantula tam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sordibus; quemadmodum Nubecula illa fuit de mari amaro, sine tamen aliqua amaritudine. Licet namque nubecula illa esset originaliter ejusdem naturae cum mari, alterius tamen fuit qualitatis, alteriusque proprietatis. Mare quippe ponderosum est, & amarum; sed nubecula illa levis fuit, & dulcis: sic quamvis in quovis alio homine natura humana, instar maris sit in sua origine, ita amaritudine peccatorum & vitiorum pondere, ut fateri cogatur: Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, & sicut onus grave gravatae sunt super me. Beata tamen Maria de hoc mari, id est natura humana aliter fuit orta, quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine peccatorum; & dulcis per plenitudinem charismatum. En tibi, qua ratione nubeculae illius miraculum miraculosam Deiparae

conceptionem portendebat. 578 Sextum miraculum sit, non praeludens, sed concelebrans patratam jam Dei manu potissimam Marianam Conceptionem; ex Apocalypsis cap. 12. desumptum. Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim: Et ecce Draco magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas &c. Etenim, ex communi Patrum mente, Apocalypica hac Foemina, Virginem Matrem designari, extra omnem debet esse dubitationem. Patres retuli supra numero 120. & litterariam esse hanc interpretationem statui. Ad do tamen, immunitatem Deiparae ab originali culpa eo spectro celebrari. Nam eo spectare totum illum caelestem ornatum, solem, humanam & stellas, suadent Cantico verba cap. 6. 9. quae de immaculato Virginis conceptu superius explicavimus à nu. 172. & ad quae alluisse putandus est S. Joannes quemadmodum etiam ad c. 3. Genes. ubi triumphus Mariae de tartareo Dracone propheticè celebratur, ut diximus supra à numero 141. Et efficax quidem est Apocalypici contextus observatio: nam vers. 9. Antiquus serpens, qui parturienti Mulieri sese opponebat, dicitur univèrsi orbis seductor, cum tamen tota Joannis narratio eo tendat, ut caelestem foeminam à communi totius orbis serpentina seductione immunem asserat. Quae autem alia mulier à communi seductionis veneno immunis potest inveniri praeter Deiparam? Hanc igitur ad litteram describat Joannes, similis omnino Moysi, ejusdem mulieris, & serpentis antiqui inimicitias praedicienti. Itaque ex simili Moysi testimonio, Joannis spectrum lucem accipit. Illud unum hic observa, Virginem caelesti luce quaqua versus vestitam, & exornatam à puncto suae Conceptionis, appellari signum magnum in caelo apparens. Ubi signum ex sacrae Scripturae usu, idem est omnino, quod miraculum, seu prodigium, quod praeter ordinem, legemque naturae sit Palm. 134. 9. Actor. 5. 12. Matth. 12. 39. & alibi saepe. Eximium igitur miraculum, & caeleste omnino prodigium extitit Deipara in sua Conceptione; cum supra humanae naturae leges, & ordinem ab omni peccati labe pura fuerit procreata. Eapropter appellatur à Sancto Ignatio Epistola ad Joannem Evangel. Celeste prodigium, & sacratissimum speculatum. Et à S. Epiphantio Serm. de ejus laudibus. O Virgo sanctissima, quae exercitus Angelorum in stuporem deduxisti! stupendum enim miraculum in caelis mulier gestans lucem in ulnis, &c. cum intuitu certè ad hoc Apocalypicum simulachrum, miraculosum, prodigiosumque vel ipsis etiam Angelis. 779 Denique disputari hic poterat; utra sit miraculosior Conceptio, Mariae ex Anna & Joachimo sterilitate, & senectute impeditis, an conceptio JESU ex Maria. Cæterum hac de re statuit aliquis ex parte rei, concipere Virginem (si removeantur alia miracula unionis Verbi, & partus Mariae) ex minoribus miraculis est. Quod probatur ex Abulensi in cap. 9. Matth. quaestio. 18. & ex doctrina Sancti Thomae 1. parte quaestio. 105. a. 8. in corpore. Deinde asseritur, plura supplevisse Deum ut opificem extraordinarium, & supernaturalem ad conceptum Virginis ex Anna, & Joachimo, quam ad conceptum Jesu ex Maria,

S. Ignat. S. Epiphant.

Utra sit miraculosior Conceptio, Mariae an Christi.